

*Genuenses  
in tres po-  
tentissimas  
clases uno  
tempore cir-  
ca Bospho-  
rum prospe-  
re pugna-  
runt.*

illis , circa Thracium Bosphorum dimicatum . Distant diversarum terrarum angustiæ tria millia passuum a Byzantio : hinc Europa , inde Asia est , vicinis se littoribus intuentes , ita prorsus ut suspicari possis , unam olim fuisse terram , ac terræmotu quandoque abruptam , arctissimam freto viam præbuisse , ut olim Calpem ab Atlante abscissam , aditum oceano in mediterranea dedisse credidit Plato . Hujusmodi fauces , quæ a bovum meatibus ob brevem intercapedinem credantur perviæ , Bosphorum appellant : atque eundem Thracium , a terra cujus altera Bosphori ripa est . Has maris angustias , audito hostium adventu , qui ex Calipoli novissime solverant , consulto Ligur occupasse dicitur : ne , si aperto mari commissum esset prælium , adversus tres numerosas classes uno tempore , & velut in orbem , pugnare cogeretur ; apparebat iccirco tutius , Venetos Hispanumque a fronte excipere , loco quidem angusto , ubi tanta vis navium uno tempore dimicare non posset : a latere vero Græcam , quæ modico negocio , si non tam cito averti , certe sustineri posset . Atque ita sene accidit , ut Græca classis pene intacta adhuc , ubi cœptum est pugnari , turpiter hosti cesserit : & quasi pulsa , quum quadraginta longarum navium esset , domum se trepide receperit . Levatus ea parte Ligur omnem impetum pugnæ in Venetas & Aragonias triremes , quæ a fronte pugnabant , convertit . Cruentum hic certamen commissum ferunt , ac duabus horis , neutro fortuna inclinante , pugnatum . Verum circa occasum solis , nascentem Austrum iniquiorem locum adverso flatu Genuensibus fecisse : ac ne sic quoque illos loco summoveri potuisse , quin obstinatius resistentes , per noctem pugnam ciere non destitisse , citius ad unum mori , quam cedere volentes . Veneti & ipsi suæ famæ non obliti , parum decorum putabant , quando navium numero præstarent , ab initio non viciisse . Nam præter quadraginta naves , quas ipsi habebant , triginta aliæ Aragoniæ gentis erant : quidam vero pauciores fuisse

ajunt :